



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

123. Ad Romani Pontificis &c. Constitutio super suppressione venalitatis
Officii S. R. E. Camerariatus, & quamplurium ejus redituum applicatione
Cameræ Apostolicæ, & publicæ Aromatariaæ pro pauperibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Reservatio Beneficiorum ad Collationem Protectoris alius pertinentium.

Controversia circa praemissa à Congregatione praefata decidenda

Decretum super oblativis, cum clausula sublatâ.

Derogatio contrariis.

Domus extrâ Dioccesim Lauretanam ubilibet existentes, ad debitum tamen numerum, ut supra reducendos, servari statuimus.

§. 8. Beneficia autem praedicta, & alia quaecunque cum cura, & sine cura, Secularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia, quae ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem praefatae Sanctae Domus pro tempore Protectoris quomodolibet pertinebant, ordinationi, dispositioni, & provisioni Nostrae, & Sedis Apostolicae perpetuo reservamus.

§. 9. Si quid verò circa praesentis Nostrae Constitutionis observantiam, interpretationem, sive declarationem ullo unquam tempore controversi, aut dubitari contigerit, id omne praefatae Congregationis, à Nobis ut supra institutae, iudicio, cui propterea omnem desuper facultatem necessariam, & opportunam concedimus, & impartimur, declarandum, decidendum, definiendumque esse, necnon quacunque appellatione, recursum, nullitatis dictione remotis, ab omnibus servandum omninò districtè praecipimus, & mandamus.

§. 10. Decernentes praesentes Literas, etiam ex eo, quòd Episcopus, Capitulum & Clerus, aut Communitas, & homines praefatae Civitatis Nostrae Lauretanæ, ac alii quicunque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, eisdem non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa, quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus posse; sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & ab iis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari: sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata, eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, quicquid fecus super omnibus, & singulis praemissis, vel circa ea à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, praemissis Clementis, & Pauli Praedecessorum huiusmodi, & aliis quibuscunque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, & Provincialibus, & universalibus Conciliis editis, innovatis, & confirmatis, Nostraque de jure quaesito non tollendo, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, ac dictarum Sanctae Domus, & Ecclesiae, & Civitatis Lauretanæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis Sanctae Domus praefatae, illiusque Protectori pro tempore existenti concessis, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in genere, vel in specie, necnon etiam caeteris omnibus, & singulis, quae in praesentibus Literis ipsi Praedecessores voluerunt minimè obstat. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, & individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formam in illis tradita ob-

servata, exprimerentur, & infererentur, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & inferitis habentes, ad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permanens, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrae moderationis, confirmationis, exemptionis, suppressionis, erectionis, concessionis, declarationis, reservationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

P. Porta.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die verò nona Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinà Providentiâ Pape XII, Anno octavo; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiae S. Joannis Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, Curiae Innocentianae, Cancellariae Apostolicae, & in Aede Campi Florae, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vassellum ejusdem S. Domini Nostri Papa Cursorem.

Joseph Staggius Mag. Curs.

Constitutio super suppressione venalitatatis Officii S. R. E. Camerariatus, & quamplurimum ejus reddituum applicatione Camerae Apostolicae, & publicae Aromatariae pro Pauperibus Urbis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romani Pontificis, quem constituit Dominus super familiam suam, ministerium pertinere, ut post multas, & graves Pastoralis officii curas, ad temporalium quoque Sanctae Romanae Ecclesiae Bonorum custodiam vigilet, & Camerae Apostolicae, per quam quotidianis pro conservatione Ecclesiasticae ditionis oneribus, & communibus etiam Christianae Reipublicae necessitatibus subvenitur, profectus, & commodis, tamquam fidelis dispensator, & prudens, habita etiam de pauperibus, quorum Ecclesiae res patrimonium sunt, provida ratione prospiciat: sicque resecatis, absque dignitatis immutatione, quae in Romanae Curiae majoribus etiam Officiis superflua videri possunt, fiat unius abundantia multorum inopie supplementum.

§. 1. Cum itaque vetus, ac praclarum Nostri, & S. R. E. Camerariatus Officium, quod per obitum nuper bon. mem. Paluti, dum vixit, Episcopi Portuensis S. R. E. Cardinalis de Alteris nuncupati vacavit, & vacat in praesens, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum concessione

Sanctio poenalis.

D. 7. Aug. 1698. P. A. 8-

CXXIII.

Exordium.

Constitutionis causae.

Dein-

multiplici, ac præfertim fel. rec. Gregorii XV. anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo Præd. Nonas Maji Pontificatus sui anno primo desuper expeditis Litteris, ultra quamplura privilegia, & facultates, atque prærogativas pinguis redditibus, & emolumentis hæcenus abundare consueverit; quæ quidem ex eo maxime decursu temporis excrevisse noscuntur, quod olim Camerariatus hujusmodi inter Romanæ Curie Officia venalia recensetur, cujus propterea ingenti pretio congruebat reddituum affluentiam respondere: Nos, qui, ne in posterum Caularum Curie Camera Nostræ Apostolicæ Auditoratus, ac Thesaurariatus generalium, nec non Clericatum, & Præsentatus Officia recepto pretio concederentur, alias edita Constitutione nostra sancivimus; eoque magis à prædicto Camerariatus Officio, quod personis amplissima Cardinalatus dignitate fulgentibus tribui solet, omnem venalitatē, ac pretii mentionem arceri consultius arbitramur, eidem Camera Nostræ, quæ jam à longo tempore liberalibus, ac gratiosis eorumdem Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum condonationibus intervenientibus pretii commodum non recepit, & multis aliis oneribus prægravatur, indemnitati consilere congruum duximus, simulque Sapientis illud: Honora Dominum de tua substantia: monitum adimplendo, in aliquod pium opus huic Almæ Urbi nostræ maxime necessarium, præfatorum portionem fructuum erogare.

§. 2. Quapropter habito super his nonnullorum dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum probitate, doctrina, rerumque usu præstantium consilio, atque etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac nostra perpetuè valitura Constitutione prædicti Camerariatus Officii venalitatē omnem penitus, & omnino suppressimus, extinguimus, & abolemus, illudque deinceps absque ulla prorsus pretii interventione, virtutis, ac meritorum duntaxat intuitu conferri decernimus, & mandamus.

§. 3. Omnes autem præfati Camerariatus Officii fructus, redditus, proventus, regalia, salaria, jocalia, responsiones, obventiones, aliaque cujusvis generis emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria quocunque nomine nuncupata, & undecunque provenientia, ad Camerarium pro tempore existentem, tam Sede Apostolica plena, quam vacante quomodolibet pertinentia, & ab eo percipi solita, ab eodem Camerariatus Officio, salva duntaxat infra scripta reservatione, harum serie penitus, & omnino dismembramus, ac separamus, & pro dismembratis, ac separatis haberi volumus, & mandamus.

§. 4. Porro, ut memorati Officii amplitudo ea, qua decet, autoritate, & honorificentia conservetur, simulque expensarum ipsi incumbenti necessitati de alicujus subventionis auxilio provideatur, privilegia, facultates, prærogativas, præeminencias, antelationes, exemptiones, immunitates, jurisdictiones, gratias, & indulta omnia, quæ Camerario prædicto pro tempore existenti, tam ex præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum concessione, quam ex legitima, & approbata consuetudine, aut aliis quomodolibet competebant, & quibus Palutius Episcopus Cardinalis, & Camerarius præfatus usus, potius, & gravior fuit, seu uti, potiri, & gaudere debuit, excepta tamen facultate conferendi, seu providendi Officia in præfatis Gregorii Prædecessoris Litteris enumerata, super quibus omnibus, & singulis, eaque in futurum conferendi formâ specialiter providere intendimus, salvisque aliis infra dicendis, eidem Camerario pro tempore existenti in omnibus, & per omnia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus eorumdem tenore præsentium præservamus, confirmamus, & innovamus, eique omnia, eique

omnia, & quæcunque emolumenta ex sigillo ejusdem Officii provenientia, & hæcenus percipi solita cum suis honoribus, & oneribus plenarie reservamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus, & attribuimus.

§. 5. Quoniam verò quemadmodum ab ipso suscepti à nobis Apostolatus initio pauperum, qui Domini Nostri Jesu Christi personam sustinent, necessitatibus sublevandis, invalidorum Hospitium Apostolicum erigendo, & juxta Prophetæ consilium, egenos, vagosque in domum nostram inducendo, nec non puerorum, ac puellarum instructioni simul, & indigentia prospiciendo, Pastoralis nostræ sollicitudinis ministerium impendimus; ita cæteras, gravesque dictæ Urbis necessitates, urgente nos jugiter Pastoralis officii debito, oblivisci non possumus: propterea miseriam inopum, & gemitum pauperum, præfertim infirmitate corporis laborantium, qui ad noscomia, quibus eadem Urbs, benedicente Domino abundat, transportari commode nequeunt, quantum cum Deo possumus sublevare volentes, attento quod Palutius Episcopus Cardinalis, & Camerarius prædictus, qui etiam Archiconfraternitatis SS. Duodecim Apostolorum de Urbe Protector existerat, inter cætera pietatis, & Christianæ charitatis officia publicam Aromatariam, seu medicamentorum Officinam pro pauperibus à similibus mem. Francisco, dum vixit, Episcopo Hostiensis, ejusdem S. R. E. Card. Barberino nuncupato, d. Archiconfraternitatis eidem Protectore proprio ære primum trestam, instructamque, ac per plures annos usque ad obitum de necessariis provisam, suis pariter sumptibus providebat, & sustentabat; ut tam pii operis firmitati perpetuæ dotis constitutione consultum sit, ex præfatis emolumentis, atque proventibus, ut præfertur, à Camerariatus Officio dismembratis, omnia, & singula, quæ tam ex massa Collegii Notariorum Camera Nostræ Apostolicæ, quam ex Collectoriis, in Regnis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Neapolis, ac universa Italia vigesima nuncupata, quæque ad rationem duorum pro centenariis super spoliis, fructibus, & emolumentis omnibus dictarum, & aliarum Collectoriarum ubicunque institutarum, & instituendarum, ac etiam occasione Decimarum impositarum, & imponendarum quarumcunque, sive subsidiorum earum loco suppositorum, & supponendorum, Camerario præfato pro tempore obveniebant, & ab eo percipi consueverant, in eo tamen statu, quo de præfatis sunt, atque erunt in futurum, ita ut ob quamcunque eorum diminutionem quantumvis maximam, atque etiam totalem, & integram deficientiam ad aliquod supplementum Camera prædicta nullo unquam tempore teneatur, eidem Aromatariæ, seu Officiæ, sub præfata Archiconfraternitatis, ejusque Prioris, ac Deputatorum pro tempore existentium administratione, eorumdem tenore præsentium perpetuè donamus, concedimus, & assignamus.

§. 6. Reliquos autem omnes Camerariatus Officii præfati fructus, redditus, ac proventus, ut supra dismembratos, Camera prædictæ, debitis tamen iisdem annexis, atque antea Camerario prædicto ratione fructuum, reddituum, & proventuum hujusmodi incumbentibus per eam congruè supportatis, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, harum serie perpetuè eidem restituimus, renuimus, applicamus, & incorporamus.

§. 7. Ac signanter omnia, & singula emolumenta, seu præstationes præd. Camerario pro tempore existenti, ex rebus venalibus, seu stationum pro venditoribus locatione, aut aliis in foro Agonali, solitis detractis oneribus, quomodolibet competentia, & ab eo percipi hæcenus consueta, quæ aliis per nos dudum edita Constitutione Tribunali, & Magistratui Viarum sub cura pro tempore existentis illarum Præsidis restituta, unita, & in-

Applicatio complurium Camerariatus fructuum ad publicam pro pauperibus aromatariam.

Restitutio reliquorum Camera Apostolicæ.

Annexio quorundam reddituum signanter, qui Tribunali & Magistratui Viarum aliis fuerant incorporati.

Supprimat prout in rubr.

Dismembrat fructus.

Præferuntur privilegia legitime competentia.

corporata

corporata fuerant; cum experientia compertum sit, ex gratiis, & concessionibus in eadem Constitutione contentis, & successively diligentiori praefati Tribunalis regimine satis ejusdem necessitatibus esse consultum, praevia eorumdem emolumentorum ab eodem Tribunali, ac Magistratu, & quatenus opus sit, nova etiam a praefato Camerarius Officio dismembratione, necnon antedictae Constitutionis Nostrae hac in parte duntaxat derogatione, caeteris omnibus in eadem Constitutione dispositis, & praesertim jurisdictione Tribunalis ejusdem, necnon facultate locandi, de consensu tamen Commissarii generalis memoratae Camerae pro tempore existentis, in suo robore permanentis, eidem Camerae Nostrae perpetuo pariter unimus, annectimus, & incorporamus.

Decretum super obstativis.

§. 8. Decernentes easdem praesentes Literas, & in eis contenta quaecunque, etiam ex eo quod praefati Praeses, ac Magistri Viarum, seu alii ejusdem Tribunalis, ac Magistratus Officiales, & alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, eisdem praemissis non consenserint, aut vocati, seu audiri non fuerint; tamen si suorum Indultorum, seu privilegiorum vigore consentire, vocari, seu audiri semel vel pluries quomodocumque debuissent, aut ex alia quacunque quantumvis juridica, & privilegiata causa de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, alioque quocunque, etiam quantumvis magno, formali, & substantiali defectu, notari, impugnari, redargui, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illa a perditionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse: sed semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque & quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari: sique & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis autoritate, praeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictaeque Camerae Praesidentes Clericos, & alios Officiales, & Ministros quoscunque, sublatam eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 9. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, praedictis Gregorii Praedecessoris, & Nostris super confirmatione, & concessionem facultatum Magistratus Viarum Literis, & quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariae Apostolicae regulis, necnon fel. rec. Symmachi, Pauli II. Pauli IV. necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae, & Camerae praefatae non alienandis, & male alienatis recuperandis, illisque non obligandis, ac rec. mem. Pii Papae IV. similiter Praedecessoris de gratiis quaecunque Camerae Apostolicae interesse concernentibus in dicta Camera intra certum tempus praesentandis, ac registrandis; itaut praesentes Literas ibidem praesentari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictae Camerae, aliisque

quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, regulis, & consuetudinibus, ac Decretis, etiam Cameralibus, & Consistorialibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Camerario, Camerae, Tribunali, Magistratu, & Officialibus praefatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, cum quibusvis etiam derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, aut aliis quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Praedecessores Nostris in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inserentur, iidem praesentibus pro plenae ac sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentis, ad praemissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum suppressionis, dismembrationis, praeservationis, confirmationis, dismembrationis, concessionis, applicationis, incorporationis, intentionis, decreti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo Octavo, Quarto Idus Augusti Pontificatus Nostri Anno Octavo.

D. 10. Aug. 1698. P.A. 8.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodaturus.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

P. Porta.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione prima, die vero vigesima quarta Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papa XII. Anno octavo; Supradictae Literae Apostolicae afixae, & publicatae fuerunt ad valvas Ecclesiae S. Joannis Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, & Cancellariae Apostolicae, in Aede Campi Florae, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Camerarium ejusdem S. Domini Nostri Papae Curso-

Joannes Baptista Capelli Magister Curfor.

F I N I S.

I N D E X